



# Disputatio inauguralis de majestate

<https://hdl.handle.net/1874/343813>

DISPUTATIO INAUGURALIS,  
DE  
MAJESTATE.

QUAM  
DEO DUCE, PRÆSIDE VERITATE  
*Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii.

NEC NON  
*Amplissimi Senatûs Academici, Nobilissimæque*  
*Facultatis Juridicæ Decreto,*  
PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, juribus &  
Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,  
*Eruditorum Examini subicit*

JOHANNES THEODORUS SCHLECHTENDAL,  
Clivis Clivensis.

*Ad diem 17. horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō loc xci.

GENEROSIS, PERIL  
QUE EXCEL  
DOMI

DN. FRANCISCO  
DE MEINDERS, DOMINO HE  
REDITARIO IN HEIMERS  
DORF, HACKENAU, ET TAS  
TORF. &c.

POTENTISSIMI ELE  
BURGICI FRIDERICI III. A CON

MAGNIS DOMINIS  
TRONIS, FAU  
INAUGURALIA HÆC  
EA QUAE ADDECET MENTE MANU

GENEROSITA  
CELLENTIÆ

ENIXISSIMUS CULTOR

JOHANNES THEODO

Ex Officina Francisci Hartmanni  
Typographi, etc. etc.

LUSTRIBUS AT-  
LENTISSIMIS  
NIS,

DN. EBERHARDO  
DE DANCKELMAN, DOMINO  
HEREDITARIO IN HRES.  
QUES, INGELINGEN, SCHO-  
NENBECK, ET DUCKERT. &c.

CTORIS BRANDEN-  
SILIIS SANCTISSIMIS. &c. &c.

MOECENATIBUS, PA-  
TORIBUS SUIS  
SEQUE TOTUM  
QUE DAT, DICAT, CONSECRAT

TIS ATQUE EX-  
IPSORUM

ATQUE HUMILIMUS SERVUS  
RUS SCHLECHTENDAL.

DISPUTATIO INAUGURALIS  
D E  
MAJESTATE.  
P R Æ F A T I O  
A D  
L E C T O R E M.



Isto impraesens tibi, quicumque fueris, Candide pariter ac fat curiose Lector, Majestatem sive summam in Rep. potestatem, probatum hac scil. daturus, quid denique humeri valeant, vel quid perferre recusent. Quaedam siquidem ex allegatis meis thematibus nil nisi apices Politicae Jurisque Publici, nil nisi scrupulos subtilitatis sapiant; sed tamen hac in se considerata quis sua defraudabit laude? Quomodo enim humilis & juveni animi esse existimavi, in trivis harendo humiles ac obvias myricas legere; sic quoque & ea praesertim in Disputatione hac Inaugurali & more modoque Academico jamdiu laudabiliter sic introducto, exponere meditatus sum, quae aliquanto majoris essent indaginis. Fateor equidem, me Gordios illos planeque inextricabiles tot Virorum excellentissimorum nodos, quibus sapius eram in conquirendo implicatus, pro sufficientia semper dissolvere non valuisse; Illius tamen symboli memor, quo Serenissimus Germania Heros non semel atque iterum usus fuit: Nunquam quid tentasse nocet: probabiliores dumtaxat conjecturas communicare Tibi literatoque Orbi satagi; sin igitur in his minus apte statuero, adest, quae me excusat, gravissima materia difficultas: sin recte parum docuerit, aetati quoque juvenili tribue, quae corrigendi & rejiciendi Jus sibi Reservatum existere contendit, semperque uberius exuditionis copiam sibi comparare allaborat, hujus insuper non immemor, quod omnium habere memoriam & penitus in nullo peccare, divinitatis magis quam mortalitatis sit indicium. l. 2. §. 14. C. de Jur. vet. enucl: Ad Te interim, omnis Majestatis Politicae Auctor & dator supreme, me convertens humiliter Tuam Clementiam imploro precibus, ut hic conatus & omnia mea studia ad Nominis Tui gloriam vergant, Patronorum & Amicorum spem & desiderium expleant & mei ipsius salutem apprimè promoveant.

## TRACTATIO.

## THESIS. I.



Anum igitur operi admoturo *generaliaque specialibus* præmissuro mihi primùm brevibus investiganda occurrit *Majestatis Origo*. Varias autem scio easque non uniformes Doctorum opiniones. Repetunt enim eam aliqui 1. à vi & coactione, ut *Bodinus*. 2. Alii à mutuo metu, ut *Hobbesius in Elem. c. 1. §. 2. & seqq.* 3. Alii ex ferinâ vitâ Gentilium, sicut apud Poëtas & Historicos Aborigines describuntur, quam sententiam explicat *Bæclerus I. Pol. 1.* 4. Alii à naturâ corruptâ, ut *Lampadius de Rep. Rom. Germ. part. 1. §. 3. 4. & seqq.* Nos his omnibus rejectis ex ipsa natura ejusdem originem atque fundamentum adstruimus cum *Besold: in Syn. Pol. pralim. §. 39. & seqq. Bæcler. ad Grot. l. 2. pag. 200. Zigl. de Jur. Maj. 11. 38. & aliis*, extendimusque etiam eo, ut, etiamsi homo in statu primævo integritatis sive innocentie perstitisset, tamen Respublicas & consequenter summas regnandi potestates fuisse, probabiliter dici possit. Cum enim Deus naturæ nostræ sociabilitatem (quicquid in contrarium velit *Thom. Hobbes. mod. cit.*) indidit, insimul voluit, ut ordinem observemus, cum absque illo nulla societas, sive sit perfectissima sive sceleratissima, imo ne quidem Diabolica, uti constat ex *Luc. cap. 11. vers. 17. & 18.* subsistere potest; Jam autem ordo iste consistit in Imperii & subjectionis certâ ordinatione, ex qua consecrarium hocce deducitur ritè; Regere atque & subjici *Natura humana*, tum & *Divino in Sacris Lit. revelato Juri* consentaneum omnino esse. Aliis quidem perpetuo fixum ratumque insidet, omne imperium à Deo introductum esse ad frenandam hominis licentiam: Ast sunt & inter Angelos bonos inque bono æternùm confirmatos throni ac potestates *Coloss. 1. vers. 16.* quibus ab aliis obedientiam voluntariam, facilem & per jucundam ad Gloriam summi Dei ejusque mandatorum executionem tendentem deberi non absurdè dixeris. Uno verbo: Si permanissemus in statu integritatis, non cessasset Imperium ipsum, sed ille saltem post lapsum necessarius imperandi modus.

II. Sequitur *Definitio*; Est autem illa ex Philosophorum traditis vel nominis

minis vel rei; Sed de *nominali* hujus vocabuli explicatione non adeò sollicitus ero; *Etymologiam* enim quod concernit, Majestatem à magnitudine sic dictam esse facile constat, aut quod secundum nonnullos Majestas sit quasi *major status*; verum allusio potius videtur esse, & *Etymologia Logica* seu *realis* (Legibus nostris civilibus etiam familiaris, ut videre est ex l. 35. §. 1. de mort. c. don. l. 2. §. 2. de R. C. pr. §. de Testam. l. 3. ff. de damn. infect. l. 15. §. 4. de Injur. §. 2. Inst. de Tut. l. 3. ff. de Instit. Act. §. 3. §. de Injur. add. Wesenb. II. D. Commod. N. 2. Cap. Forus X. de V. S.) quàm vera definitio Grammatica. Quoad *Homonymiam* notandum arbitror, Majestatem à quibusdam summi vel 1. pro gravitate & auctoritate personæ, quæ visu ac auditu venerabilis est: Hinc Germanicè dicimus: *Er hatt ein Majestätisch wesen über sich.* 2. Pro honore sive dignitate externa à potestate emanante, quo sensu & *Grotius de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 21. n. 1. & in tr. de Imp. Sum. Pot. cc. Sacr. c. 1. §. 1. in fin.* vocem Majestatis interpretatur. 3. Pro Exercitio Majestatico; quo respectu Reges Lacedæmoniorum, Dictatores Romanorum, Duces Venetorum, aliique administratione saltem non jure ipso gaudentes, Majestatem habere dici possunt. 4. Pro apparatu illo solemni, quo Imperator noster est ornatus, si Imperii feudum alicui conferat, ubi tunc sedere dicatur *in sua Majestate.* 5. Denique sumitur pro summa in Rep. potestate, solius Dei imperio subdita, nec ab ullo homine dependente. Quam Majestatis significationem utpote veram & à Politicis, imo & Jure-Consultis (vid. l. 3. ff. de Jurisd. l. ult. C. de LL. & Const. Princ. l. 91. ff. de hered. inst. l. 23. ff. de Legat. 3.) approbatam nostram facimus, & pro ingenii viribus hac vice pertractabimus. *Synonymiam* quod attingit, varia apud Politicos & Publicistas inveniuntur nomina, quibus aliàs Majestas accipi solet (v. gr. summa sive independens potestas, summum & absolutum imperium, summum imperii jus, anima Reip. Galli vocabulo la Souverainité, Itali aliquando præsertim, Veneti voc. Signoria, Græci voc. τὸ Κρείον utuntur) verùm brevitati licans illa jam omittam, ad ulteriora & graviora progressum facturus, & quidem ad *definitionem realem.*

III. Describo autem majestatem nostram, quod sit *summa & perpetua, legibusque soluta potestas, competens in res & personas sua ditionis vel inibi existentes.* Dicitur *summa*, quia superiorem inter homines non habet, nec alium nisi Deum immortalem recognoscit, & ideo suæ originis quasi existit, nec alterius beneficio obtinet imperium, sed illud soli Deo immediate (cujus quippe vices in hisce terris gerit) acceptum ferre teneur; quapropter & nomen *Dei* ipsi in S. Lit: tributum est, uti constat ex *Psalm: 82. v. 1. & 6.*

ex *Joh. c. 10. v. 34. & seq.* Additur porro *perpetua*; revera enim non potest esse summa potestas, quin etiam perpetua existat. Et ideo cui committitur ad tempus vel ad certas res gerendas sublimis potestas, is minimè majestatem habet, sed solummodo ejus exercitium, adeoque non Rex sed Regens regni sive curator & administrator, vel etiam summus Magistratus dicendus, qualis proprie vocatur, cui à Superiore concessum imperium, adeoque secundum esse fieri & operari ab eo dependet; sed de his plura in seqq. Summum tandem imperium etiam *legibus solutum esse*, necesse est. *l. Princeps, 31. ff. de LL.* Summus quippe non est, qui supra se vel hominem vel legem habet. Quomodo autem enunciatum hocce sit intelligendum, inter Auctores plane non constat, & imprim: *meri Leguleji* (quos Itali vulgari Proverbio *meros Asinos* appellant) plerumque hac in parte turpissimè errant. Nos has fallacias evitare simul ac superare contententes triplicem facimus in Principe respectum; vel enim consideratur 1. ut *homo*, & sic subjacet juri Naturali, vel 2. ut *socius*, magnæ videl. illius societatis mundanæ, & sic subest Juri Gentium, vel denique 3. ut *Princeps*, & sic non est subditus legibus civilibus à se latis; *juncta cit l. 31. add. Struy: S. J. C. Ex. 2. Th. 8. usque ad 12.* Fert enim illas potentiae suæ passivæ, sive materiae & objecto, h. e. subditis, quibus præest, ita ut semper earundem directorium in continuando, alterando & abrogando sibi reservet, & sic legibus à se latis (non naturalibus & divinis, non Gentium & fundamentalibus) maneat superior; quamvis sapius, imprim: quod personam ejus privatam concernit, iisdem (ad exemplum subditis inde desumendum, & ex singulari quo in eisdem fertur affectu) vivat. *s. fin. J. q. mod. Testam. infirm. l. 3. C. de Testam. l. 23. ff. de Legat. 3. l. 4. C. de LL.* Posuimus denique in definitione nostra: *competens in res &c.* sed cum hisce Majestatis objectum indigitetur, infra, ubi agemus de eodem, hæc explicanda erunt.

IV. Restat denique enucleanda *Divisio*, quam multi Politicorum Majestati superstruere conantur. Dividunt autem eam in *realem & personalem*; *hanc* nominantes, quæ in personam imperantem confertur; *illam*, quæ in imperio sive Rep. manet; atque ita duas Majestates in una Rep. sibi animo fingunt, quod profectò ipsius summitatis naturæ minimè est consentaneum, imò ei repugnat; Ea enim est summi conditio, ut nihil illud adæquet nedum superet. Atque hoc potissimum argumento Deorum multitudinem Sancti Patres oppugnant, quia quod summum est, idem nisi unum esse non potest. Præcipue verò imperii vis istam summorum multitudinem repudiat: nam sicut in homine una est voluntas, quæ cunctis membris membrorumque actionibus imperat, ita in civili isto corpore, quod imperat unum est: ars enim imi-



tatur Naturam; & Resp. ipsa una dicitur respectu unius summe imperantis. Qua propter divisionem hanc (quam rectissime ingeniosorum hominum inventum vocat *Sluter. ad Hippol. à Lap. p. 1. c. 1. n. 5. & seqq.*) prima fronte rejicio, quippe & summâ summorum virorum auctoritate subnixus. *Conf: Herm. Hermes. Fasc. Jur. Publ. c. 3. n. 9. & seq. Edit. prior. Rumelin. ad A. B. Carol. IV. p. 3. d. 2. § 13. Cellar. in Polit. Succinct. l. 2. c. 7. §, 21. & seqq. Oldenb. Linn. Enucl. l. 1. c. 10. n. 4.* Imprim. vero legi merentur *Joh. Georg. Simonis consiliarii ducis Saxo Vnariensis Joh. Ernesti Gravissimi, & Præceptoris quondam mei in celeberrimâ, quæ ad Salam floret, Academiâ æternum colendi ad Grot. l. 1. c. 3. §. 8. n. 1.* Aut enim, inquit vir ille acutissimi ingenii, 1. Populus in principem electum sibi potestatem animadvertendi reservat, & tunc ille Majestatem non habet, sed executor saltem dicendus est Reip. penes quem in hoc statu Popolari omnis Majestas residet. Aut 2. revera vult esse Monarcham, & nullam potestatem Majestaticam retinere potest. Monarchatu siquidem esse seu jure Majestatis pollere & aliquid in terris superius recognoscere, contradictionem involvit, quod Politicis notissimum. Aut denique 3. Populus Principi in electione certas leges præscripsit, vel certos actus Majestaticos ei concessit, vel in Capitulationibus cum Principe initis sibi reservavit; & tum in hac specie Reip. mixtâ de Majestate, quæ est aliquod in se individuum, participat Populus, & conjunctim cum Principe unam Majestatem constituit, imo eidem in partem non suam involanti, vel leges capitulationis infringenti rectè resistit & vim justam opponit, quod malè capientes quidam effingere sategerunt divisionem hancce utique culpandam.

V. Præmissis his *Generalibus*, iisque quæ ad originem, definitionem & divisionem facere possunt, scitu necessariis, ad *specialiora* nos accingimus, & quidem Methodo sic jubente, contemplando Majestatis causas & effectus; causa autem, (intellige consentaneas, de dissentaneis enim infra) attestante communi Methaphysicorum scholâ, aliæ sunt *interna*, quæ essentiam rei ingrediuntur, ut *materia & forma*; aliæ *externæ*, quæ inesse rei non ingrediuntur, ut *Efficiens & finis*. Primo itaque loco *causam efficientem* examinaturi, eam non aliam nisi *Deum Ter. Opt. Max.* agnoscimus, quippe à quo omnem Majestatem immediate conferri & extinctâ domo regnatrice ad eum iterum reverti statuimus. Dissentientem quidem hac in re habeo *Grotium*, Belgicum illum sapientem, l. 1. c. 3. § 7. n. 2. *junct. c. 4. §. 4 n. 1.* cui ad stipulatur *Dn. Sam. Puffendorff. de Jur. Nat. & Gent. l. 7. c. 3. §. 3. & seqq.* qui vocat assertum hoc *μετεμψύχωση* Politicam. Sed tamen ab his ut amicam impofterum facerem secessum, dexteriolem interim informationem nunquam respuentem me potissimum moverunt ea, quæ notavit prælaudatus *Dn. Simon*

in not. ad Grotium. cit. cap. 3. §. 7. n. 2. & imprim. quæ allegavit ex Marc. Anton. de Dominis de Rep. Eccles. l. 6. c. 2. per tot. qui cum elegantem pariter ac gravem quoad hanc controversiam se exhibuit, lubet etiam ejus verba, quæ contra Bellarm. de Laic. cap. 6. in Aph. 26. profert, hic adscribere. Quicumque, inquit ille, sive in Monarchiâ sive in Aristocratiâ sive in Democratiâ hanc actu exercet potestatem, eam loco Dei, non multitudinis, exercet, & proximè ac immediatè à Deo habet. Multitudo etenim naturaliter regi debet, non regere: est ergo naturaliter regenda, non rectiva; & frequentissimi sunt casus, in quibus multitudo alicui justè subicitur penitus invita & nolens & dissentiens. Quod vero interdum alicubi etiam ipsa multitudo se ad eam formam regiminis redigat, quæ, ei ex tribus dictis aut ex eâ mixta magis placet, nihil aliud evincit, nisi in multitudine esse potestatem deputandi seu eligendi personam vel personas, à quibus regatur. Factâ vero electione seu deputatione, Deus immediatè electis concedit politicam potestatem: cujus potestatis verum & immediatum subjectum est, non multitudo, sed Rex, Senatus, Populus, prout ipsa multitudo uni ex his formis subest, nec eam potest amplius in inferiorem formam mutare. *Hactenus ille.*

VI. Inde constat, quod quamvis olim Populus Romanus per legem Regiam Augustis tribuerit omnem potestatem juxta l. 1. ff. de constit. Princ. §. 6. J. de J. N. G. & C. non tamen ea à Populo dependebat, sed potius in ipsum Populum competebat: nec Princeps tanquam aliquod feudum à Populo imperium habebat, sed Populus privativè sive abdicativè, eligendo scil. formam Monarchicam, omnem sese gubernandi potestatem transfudit in Imperatorem. Hincque habetur in jure nostro à Majestate cœlesti Casari imperium traditum, eidemque Deum imperii coronam imposuisse. l. 1. c. de Jur. Vet. enucl. l. f. C. de LL. ita ut Majestas optimo jure dici possit potestas divina de cœlo delapsa, ac inde itidem ex Dei Gratiâ, *Von Gottes Gnaden*, se regnare profiteantur Principes absoluti. Et sic, licet Imperatoribus nostris Electores conferant regnum; hi tamen nullam potestatem electo Imperatori dant, sed nominant solum personam, quæ debeat illam immediatè à Deo proveniente exercere potestatem. Prouti idem de Pontifice adstruere conatur Bellarm: dum scribit l. 2. de Pontif. c. 17. Electores Cardinales vete dici Pontificem creare, & esse causa ut talis sit Pontifex, & ut habeat eam potestatem: non tamen ipsi dare eam potestatem, neque esse causam ejus potestatis. Sed anne hæc potestas, quam sibi in ecclesiasticis arroganter attribuit Pontifex, à Deo approbetur & Sacris Lit. sit conformis? aliis imprimis Theologis discutiendum relinquimus.

VII. *Finis* Majestatis est institutio, directio & conservatio civilis societatis, quæ parit tranquillitatem hominum, propagationem publicæ salutis & honestatis. Audiamus hac de re *Paulum Apostolum*, qui summam Potestatem seu Majestatem Dei ministram esse dicit *eis τὸ ἀγαθὸν* ad bonum, qualescunque scil. quod alibi distinctius explicans, ostendit, in id institutos Reges, ut vitam quietam & tranquillam degamus, non tantum in omni honestate, verum etiam in omni pietate. Nullus igitur Populus subsistere potest qui non aliquod agnoscat regimen, habeatque & superiores, quocunque ii nomine vocentur, & subditos. Superiorum enim est bene imperare juxta illud *Virgillii: consulere in medium rebusque occurrere fessis*. Subditorum vero bene obtemperare, ut ait *Tacitus subditis obsequii Gloria relicta est*. Quæ harmonia si bene observetur, Resp. ista florebit, & privati feliciter vivent: sin secus, omnia conturbabuntur, atque ita tandem tota peribit Resp. Cyclopica itaque est eorum vita, inter quos obligatio est nulla, ubi nullus alteri obtemperare cupit. Et nihil perniciosius reputandum est ea opinione, qua quidam imperia tollendo, aut vituperando, Anarchiam, & per eam omnium rerum confusionem inducunt, ipsâ Tyrannide deteriorem. Sanè præstare censetur, sub malo Principe quàm sub nullo esse, eoque pertinet quod de *Nerva* dicebatur, deterius esse sub eo Principe vivere, per quem omnia licent, quàm sub eo, per quem licet nihil: qualibet enim confusione melior est ordo quilibet: estque Anarchia omnem contra naturam, quia contradicit harmoniæ. Unde in *S. Literis* loco pessimi status refertur non semel; Temporibus illis non erat Rex in *Israele*, quisque quod rectum videbatur in oculis suis faciebat. *Judic. c. 17. vers. 6. c. 19. vers. 1. c. ult. vers. ult.*

VIII. Perpendis jam causis externis, internas quoque, quippe multum lucis materiæ nostræ conciliaturas, ut perpendamus necesse erit; sunt autem, ut supra innui, materia & forma: materia est tum in qua, tum circa quam; quarum illa subjectum, hac objectum dici consuevit. Subjectum Majestatis est persona aut cœtus imperans, ut ostendam in Monarchiâ non Reges tantum propriè dictos, quos absolutos plerique appellant, Majestatem habere, sed & in Aristocratiâ optimates, seu illi Senatus sive Ordines seu quocunque alio vocabulo nominentur, in Democratiâ Populus, in statu Reip. mixto omnes illi, qui independenter hanc actu exercent potestatem, modò distinguas inter corpus physicum & morale: debet quidem id quod summè imperat, esse unum, sed non necessariò unum naturâ; sufficit enim, si sit unum instituto: Majestas quippe, ut totum aliquod potestativum, dividi potest in plures potentias, (quæ omnes tanquam facultates ex suo toto fluunt, sive fuerit physicum sive morale) non autem in plura talia, quale est ipsa. Conf.

*Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 17. n. 1.* Quanquam, inquit, summum imperium unum quoddam sit ac per se indivisum, constans ex illis partibus, quas supra (*§. sc. 7. n. 1.*) enumeravimus, additâ summitate, id est, τῆ ἀνωκευθουσιᾷ, fieri tamen interdum ut dividatur, sive per partes, quas vocant potentiales, sive per partes subjectivas &c.

IX. His posititis quæstiones quasdam, quæ frequentem in hoc argumento usum habent, inseramus & examinemus: Prima se offert ratione Imperii nostri Romano-Germanici (cujus notitia singulariter nobis curæ esse debet) an scilicet, in eodem Imperator Noster Invictissimus habeat Majestatem sive summam illam, de qua hæctenus verba fecimus, potestatem? Nos, qui in Imperio nostro formam ex Monarchiâ & Aristocratiâ mixtam credimus, ut Deo nobis propitio infra probaturi sumus, ipsi Majestatem quidem non vero plenam sed divisam cum Imperii Statibus, cum quibus denique constituit unum totum corpus morale, competere existimamus. Contradicimus itaque *Brautlachtio & aliis*, Imperatori nostro singulari quadam prærogativâ Majestatem attribuentibus; quandoquidem in conceptu politico minimus Princeps idemque pauperrimus, modo absolutus fuerit, præferendus erit quoad potestatem ratione sui territorii; quamvis ipsi non disputet præcedentiam. Absurdumque est dicere cum *Harprechtio ad Tit. de Publ. Jud. §. 3. n. 19. & seq.* contra solum Imperatorem Romanum committi Majestatis crimen. Nam sanè contra Remp. quamcunque superiorem non recognoscentem, si quis aliquid moliat, is ut criminis Majestatis reus punitur, non quidem ex Juliâ lege, sed jure Gentibus communi, quod cujusque imperantis tuetur Majestatem; atque planè ridiculum puto arg. *Luc. 2. vers 1.* Imperatori Imperium totius mundi velle tribuere, & secundum *Bald. ad præm. ff. n. 2.* hæreticum illum & mortaliter peccantem reputare, qui hoc credere nolit, de quibus *Limn. l. 2. c. 8. per tot.*

X. Verum enim vero præterquam quod ipsemet Imperator contrarium confiteri videatur in *l. 4. C. de Commerc. & Mercator. l. 5. §. 2. de capt. & postlim. revers.* falsitas quoque hujus rei ex hoc patescit, quod ne trigessimam quidem partem Orbis totius Romani possederint, ac adeo longè jam latius dominantur Hispani, quam olim Trajanus Imperator, cujus temporibus commemorant Imperium quam maximè patuisse, insimul & comprehendisse in longitudine 90. in latitudine 45. gradus secundum *Marquard. Freher. ad Petr. de Andl. l. 2. c. 18.* quem sequitur *Limn. de Jur. Publ. l. 1. c. 9. §. 2.* Melius igitur rem egisse videntur ii, qui ibid. per totum orbem ejus tantummodo partem, Romano scilicet Imperatori parentem, concipiunt; cum alii nunc in mundo Reges atque Resp. quæ se liberas esse jactant, nil juris in ter-

ritoriis suis Imperatori concedant, etiamsi ea Romanis quondam fuerint subiecta. Hinc *Electori Brandenburgico* Domino meo Clementissimo ratione Prussiae Ducalis Majestatem qui adimunt, quid statuant, nesciunt; cum vi pacti *Velavienis* Anno. 1657. die 19. Septemb. cum Rege & Rep. Polonicae initi, ejusdem Dominus factus sit absolutus sive *Souverain*; uti constat *ex art. V. Instr. Pac. Polon. Brandenb. Anni cit.*

X I. De Rege Romanorum (Caesare olim dicto) sive successore Imperatoris legitime designato quaeritur; an ille habeat vivo Imperatore Majestatem? Quod negamus, cum totaliter adhuc ab eo dependeat, & quodcumque ob ejus ingravescentem aetatem, impotentiam vel alias causas suscipit, agit fretus fiducia rati habitationis à Caesareà Majestate, quippe quae adhuc penes Imperatorem mansit, nec unquam in eum translata. Idem dicendum de reliquis Imperii Vicariis (quales sunt deficiente Rege Romanorum, ceu perpetuo Imperii Vicario, *Electore Bavaria*, qui hodie in possessione obtinuit tempore interregni ante Coronationem *Leopoldi I.* An imposterum hoc eveniet stante *Palatino Neoburgico Electore Palatino?* eventus docebit, & *Saxo*) Imperatoris impediti vel demortui vices representantibus, quibus summae saltem potestatis exercitium sive administrationem, non potestatem sive jus ipsum competere asserimus. Non enim statim omnia, quae quoad effectum concurrunt, conveniunt quoad causam sive fontem. Patet etiam nostrae distinctionis veritas ex notissimo significato voculae *Vicarii*, h. e. alterius vices gerentis sive curatoris, qui omnino nihil habet proprii in eo quod gerit sive temporarie sive perpetuo, cum tempus sit quantitas & consequenter rei accidens, adeoque non variet rem ipsam.

X II. Porro quaeritur, an Rex, Senatus sive Populus summus clientelae & protectioni alicujus se subjiciens Majestatem eo ipso amittat? Quod facili negotio negandum, imprim: cum hanc rem in Corpore nostro Juris Civ: à *Proculo in l. Non dubito. 7. §. 1. ff. de capt. & postlim. revers:* decisam inveniamus, cui secundas agit *Hugo Grotius de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 21. n. 2. & seqq.* Habet quidem & haec opinio suos dissentientes, inter quos praeripim: est *Anton. Matthaei ad l. 48. ff. tit. 2. c. 1. n. 6. pag. 227.* & qui eum sequitur, *Brunnem. ad l. 7. ff. de capt. & postl. revers:* diminutam aliquo modo hujus populi, Senatoris, regis &c. Majestatem sed non extinctam reputantes. Sed his satisfacit *Ziegler. in not. ad Grot. Loc. cit. & eleganter cum Arnis. de Jur. Maj. c. 4. & pluribus aliis concludit Martin. Magerus de Advocat. armat. cap. 7. num. 19. & seqq. de omnibus Principibus & Rebusp. quae alterius fidei & clientelae se committunt, eos Majestatem suam inde non perdere, modo id faciant salvo ipsorum jure. Si quis enim, inquit, alicui se*

certis

certis conditionibus obstrinxit, quod præter eas est, videtur sibi reservare voluisse, *arg. l. Si qui certa. 2. pr. ff. de Jur. immunis.* Quo refer Canonem Politicorum: *Schutz und schirm gibt keine Obrigkeit.* Client enim non est subditus, adeoque protector in eundem ultra reverentiam nil amplius prætere potest, nisi intuitu sumtuum aliquid urgeat. Sed de hoc fœdere ex professo consulatur *jam cit. Mager. de Advoc. Arm.* Difficilior est quæstio de nexu feudali, quam tamen eodem recidere & ex iis, quæ de jure clientelæ dicta sunt, facile resolvi posse putat *Grot. cit. cap. 3. §. 23.* Atque ita Majestatem plenam Vasallo æque ac clienti attribuit: Verum si accuratè loqui velis; Vasallus non habet amplius Majestatem plenam, quippe solo dominio utili gaudens & directum recognoscens juxta sive potius supra se Dominum, cum quo denique unum totum morale constituit. Breviter: cum Majestas sit totum aliquod potestativum, Vasallus cum Domino directo eandem retinet conjunctim, neuter verò plenam aut plenè divisim.

XIII. Ultimò adicienda quæstio etiam inter Philosophos diu agitari solita; an scilicet detur Majestas temporalis? Profundæ eruditionis Doctor Grotius illam affirmativè decidit in aureo suo Comment. *de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 11. n. 1. & seq.* Ego salvâ semper & inconcussâ veritatis prærogativâ discedo hic ab opinione Grotii, Viri hujus Magni & Juris publici alioquin peritissimi, ex hoc potissimum argumento, quod in terris quoad populum, cui Majestas præest, cessare debeat omne principium dependentiæ, aded ut ille per modum conventionis seu contractus sibi jus nullum reservare possit extendendi aut abrogandi imperium Regis seu Principis semel creati. Si enim in electione hoc factum fuerit, populus tantummodo Majestaticum exercitium in Regem, improprie ita dictum, contulit, quod revocabile esse omnino largior: Majestatem autem semel subjecto collatam abdicativè à populo eligente nullo tempore revocari posse intrepidè assero. Probè itaque hæc duo à se invicem, tanquam causa à suo effectu, discernenda sunt. Et sic Dictatori in Rep. Romanâ Majestaticum exercitium libenter concedimus, non verò Majestatem ipsam, quum semper ejus officium, absolutum licet, intrinsicè dependere debuerit; prouti hoc singulari elegantia demonstratur à *Dn. Simone in not. ad Grot. loc. cit.* Sic itidem Majestate præditi haud sunt ii, ut tamen Grotius contendit *Loc. cit.* qui vel absente Principe, aut minorenni, mentisque haud compote existente Remp. administrant, & Proreges, vel Proprii Regentesque appellitantur regni, quibus saltem Majestaticum comperit exercitium; quoniam eo ipso, quo tutores vel curatores nomine alicujus administrare quid dicantur, manifestum evadit, illos non ex auctoritate propriâ, sed ex representatâ potius publicorum vel fu-

riorum personâ imperio præesse. Itidem hodie dux Genuensis, & liberis in Rebus: præcipui Officiales; aut inibi vel etiam in Monarchiis Belli Duces (quales olim fuerunt Judices in populo Israelitico) ut & Principes Auriaci in Belgio verâ majestate carent.

XIV. *Objectum* Majestatis *primarium* sunt personæ, quæ materia juxta Grot: l. 2. c. 3. §. 4. n. 1. sola interdum sufficit, ut in exercitu virorum, mulierum, puerorum quærente novas sedes; *secundarium* locus, qui territorium dicitur: Hoc autem magnum sit an minimum, amplum an minutissimum nihil refert, cum quantitas sit accidens, adeoque non variet substantiam; & ita quemadmodum elephas non magis animal est quam musca, sic & imperium verb. gr. Hispanorum non magis civitatis aut Reip. meretur nomen, quàm Ragusa (quæ urbs satis exigua est, in Albanîæ littore extructa, ac propterea inter omnes Christianas Resp. minima vocatur) aut in Helvetiâ illi pagi, qui superiorem non recognoscunt & nec mœnibus cincti existunt, quorum etiam mentionem facit Spreng: l. 1. c. 2. pg. 7.

XV. Majestatis autem hæcenus descriptæ imperium dicimus ad omnia, quæ in territorio comprehenduntur, adeoque non ad profana tantum, sed ad sacra quoque extendi; quicquid contra sentiant Romano-Catholici suo Pontifici & Episcopis (unde etiam *Jurium Episcopaliū* orta appellatio) ea vindicantes, quamvis etiam sciamus, nec ipsos plane inter se convenire, aliudque Sorbonicos & Veneros Theologos, aliud alios hac de re tradere, & ad hunc usque diem Reges Gallîæ, quantumvis Christianissimos & Ecclesiæ Romanæ filios primogenitos; Patri, ceu vocatur, contradicere. Id quod inter alia elegantes epistolæ inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum, Regem Gallîæ, olim scriptæ confirmant; cum enim Bonifacius VIII. ad illum ita scriberet: Scire te volumus, quod in spiritualibus nobis subes: Rex respondebat: Sciat magna tua fatuitas etiam in spiritualibus nos nemini subesse, vel ut recensetur in *einem Aussreiben Joh: Casimirs Pfalsgrafsen pro Gebhardo Electore Colonienfi. Wir Phillippus von Gottes Gnaden entbieten wenig heil oder gar keines Bonifacio, der sich fur den Obersten Bischoff ausgiebt. Es soll wissen Ewre grose Thorheit, das wir in geistlichen dingen keinem unterworfen seyn, und das die Kirchen Pfrunden-Collation aus Koniglichen Rechten uns zugehore, ie daber anders glauben, die halten wir fur thoren und unsinnig, gegeben Paris &c. Conf: Cluten: in Syllog. rer quotid. n. 6. discuss: 1. pg. 16*

XVI. Interim in Imperio nostro res salva est per Transactionem Passaviensem de Anno 1552. insecutamque Pacificationem Religiosam, quæ continetur in Recept: Imp: de Anno 1555. ex qua perspicimus, Jurisdictionem Ecclesiasticam cum omni jure Episcopali in Electores & reliquos Imperii Sta-

tus jure Superioritatis Territorialis (quæ majestatis analogon non immeritò appellatur à D. Struvio *Ex: 4. Th. 79.*) translata; ita ut quilibet in suâ provinciâ Pontificis Maximi loco sit. Et hæc confirmata videmus in omnibus Capitulationibus Imperatoriis; imò novissimè in Instr: Pac: Osnabr: 1648. art: 5. quod quidem valde ægrè tulit Papa Innocentius X. verùm ratio status Imperii meritò prævaluit. Et sanè, absolutè sive abstractivè si rem consideres, eximi quicquam ab imperio summæ potestatis ratio nulla patitur. Nam id ipsum, quod quis eximi volet, aut nulli imperio humano subjectum faciet, aut alterius quàm summæ potestatis; qui nulli imperio subjectum volet, præterquam quòd exemptionis probandæ onere adstringetur quam probare nunquam poterit, manifestam etiã in rebus exemptis statuet *à nã G. G. G. G.*, cujus auctor Deus non est, qui omnia tam naturalia quam moralia certo quodam ordine disposuit. Qui ea, quæ summæ Potestati subducit, alterius Imperio subjicit, duas Majestates in unã Rep. sibi animo fingit, quod ipsius summitatis naturæ minimè consentaneum esse, imò ei repugnare supra imprim: *Th. IV.* notavimus, adeoque cramben bis coquere recusamus. Huc igitur refero Eremitas, qui propriã & destinatã voluntate (Aliud fortè dicendam foret, si divino aliquo præcepto) sese solitudini commiserunt, cujus actus, teste *Dn. Bæclero ad Grot: l. 1. c. 3. §. 7. n. 1. pg. 222.* Semper tales sunt, ut cum inceperint esse cogniti, voluntate superiorum gubernentur, tum maximè, cum inter nos Christianos nulla hodie solitudo, nullus angulus ferè sit, & qui non agnoscat alicujus potestatis civilis Imperium, cujus auctoritatem nemo in latebris constitutus defugiat.

XVII. *Forma* Majestatis est summa illa in terris independens potestas, in qua totius civitatis vis consistit & anima, quaque post Deum Immortalem nihil in statu Reip: haberi aut excogitari majus potest: Inde illa reliquarum potestatum omnium, omnisque Imperii atque Jurisdictionis in Rep. fons est & scaturigo. Sola ea imperium merum, Magistratus ab illã constituti ejus tantummodo exercitium habent. Ex eã tanquam pelago seu potius abyfso Politicæ potestatis (quemadmodum ex mari fluvii cuncti) per Delegationes, Commissiones, Ordinationes, Investituras &c. Omnis oritur Jurisdictio Magistratuum subalternatorum: ad eandem quoque redeunt (non secus ac omnia flumina in mare) per Avocationes, Appellationes, Supplicationes, Revisiones &c. Probè autem hæc majestatis forma intrinseca separanda est ab externo gubernandi modo, seu, ut *Grotius in tr. de Jur: sum: pot: cc. sacr: cap. 3. §. 8. pg. 32.* loqui amat, interior Reip. constitutio à quotidianã illã & maximè in oculos incurrente rerum administratione; imprim: si judicium



sit faciendum de majestatis, ut ita loquar, residentiâ: constat enim ex supra dictis, eam vel penes unum vel penes multos residere, eoque nomine vel Monarchicum vel Polyarchicum esse statum: Quod & Aristoteles advertit 4. *Polit. cap. 5. in fin.* Nam & in domo personam Regis sustinet familiæ pater, & nihilominus haud rarè filii, imò etiam servi in consilium adhibentur: Sic & adhuc hodie Gallix & Angliæ Reges Parlamenta Statusque suos convocant, ab iisque circa leges ferendas, & aliâ, majoris si quæ sunt momenti, consilium petunt; cum tamen illud, eorumque majora vota naud sequi teneantur: Id enim eorum nihil decerpit majestati. Quamquam quoad Regnum Angliæ aliud statuendum erit, cum ibid: mixturam Aristocratix cum Monarchiâ credamus subesse.

XVIII. Sed in Imperio nostro Rom: Germ: quænam hodie sit forma Regiminis anxie in Academiis disputatur: quamvis autem hac de re non in Scholis sed in Comitiiis & magnorum Principum secretioribus Consiliis sit disceptandum, non absone tamen & saltem exercitii gratiâ varias variorum opiniones & breve nostrum de iis judicium hic placet adjicere: Et quidem 1. Aristocratiam puram defendunt *Bodinus de Rep. l. 2. c. 6. Henniges ad Grot: pg. 213. ibique plures.* Illis respondit *Linneus lib. 1. cap. 10. n. 23. & 39. 2. Politiam Relfensio de sum: Princ: Germ: potest: c. 13. sepe in fin: pg. 196. 3. Aristocratiam cum Monarchiâ temperatam Hippolitu à Lapid. de Rat: Stat: part. 1. c. 2. in fin: & c. 3. sect: 2.* Hi retutantur per experientiam, quod nec Status in Comitiiis universalibus imò nec Electoralibus invito Cæsare, nec hic contra illos, quantumvis unum vel alterum Collegium adhæserit, possint decisum ferre: Imò eo ipso, quo reservata Cæsareæ Majestatis quis fultus considerat, simulque ea, quæ Status Imperatori juratò promittunt, & qualiter contra fidem datam peccantes puniri poterunt, ad animum revocat, fateri necessum habet, præponderare adhuc Monarchiam, licet plurima per Aristocratiam temperata adeoque Statibus communicata consent. Idem quoque reponendum videtur *Linneo & Asseclis Loc: cit: n. 11. & seq. iidem pro statu Aristocratico-Monarchico (sed non more Hippoliti adeo satyricè) nostri Imperii pugnantibus. 4. Ollarchiam sustinet Eichelius diff: de Rep. mixta §. 19. apud Relfensio pg. 189.* Posset hic iterum, reflexione habitâ ad tempus Ferdinandi II. distingui inter id quod alleg. Imperator intendit seu voluit, & quod obinuit. Credunt enim ipsum pro possibili evitasse Comitiiâ universalâ, adeoque operam dedisse, ut, quantum fieri valuerit, causæ decisio referatur ad paucos. 5. Corpus irregulare & monstro simile. *Monzamb: c. 6. §. 9.* Sed hæc opinio videtur falsum conceptum sibi imaginatum esse à Rep. fortè Helvetica aut Belgica, ubi est confœderatio quidem, sed

sed quælibet Provincia suo jure utitur : Interim debuerat inventor hujus rei meminisse nexus feudalis, vi cujus directum cum utili faciunt unum totum morale. 6. Pro Monarchiâ militant *Reinck: de R. S. & E. lib: 1. clasf: 2. cap: 2. & Sluter: ad Hippol: à Lap: p. 1. c. 2. n. 17. & c. 2. n. 2.* Quorum tamen castra ingredi non possum; imprim: si paulo penitiùs inspiciam *art: 8. Instr. Pac: Monast: junct: Rec: Imp. de Anno 1489.* Ubi manifesta Status Polyarchici indicia apparent, quæque minimè cum Monarchico statu, utut limitato, consistere valent. Qualis enim Monarcha, qui nullam proprio motu potest condere, abrogare aut interpretari legem, nullum ordiri bellum, foedus inire nullum &c? Sanè si nulla Comititia in Germaniâ celebrarentur, ibique nullus Statuum jus suffragii haberet, sed Imperator electus solùm ad Capitulationem, in qua nihil de concurrentiâ in juribus majestaticis disponderetur, esset adstrictus, forsitan sententia de limitato Germaniæ regno non esset adeo absurda.

XIX. Credimus igitur cum *Textor: de Rat: Stat: Germ: modern: c. 2. pg. 35. 45. 53. seqq. Pacif: à Lap: in not: ad Monzamb: disc: 12. n. 1. seqq. & aliis hodie in Imperio nostro vigere Statum ex Monarchiâ & Aristocratiâ mixtum*, ita tamen ut posterior se non habeat ut modus sed ut forma, quam mixturam ante omnem Capitulationem electioni super venientem subesse debere statuimus, cum illa nihilominus præsupponenda sit antè, quàm electus facultatem Imperium administrandi obtineat. Non enim patiuntur reliqua duo Collegia per Electorale sibi in jure hactenus confirmato præjudicari, tum maximè quoad actus Comitiales, in quibus cum Electorali concurrunt tria Imperii Senatus Collegia: *der Churfürsten, Fürsten und der Stadie Rahr*: Majestas itaque Imperii hodie residet penes Imperatorem ac universos Ordines simul; & ab his ac illo Majestatis jura pro rata juxta proportionem non Arithmeticam sed Geometricam exercentur. Omnia siquidem Imperialis Majestatis jura inter caput, id est, imperatorem, & membra id est, Status Imperii divisim exercentur, ut ita divisum Imperium cum Casare Status habeant. Quænam autem forma in Imperio nostro mixto prædominetur, Monarchia, an verò Aristocratiâ, inter Publicistas non adeo convenit: diversas opiniones vide sis apud *Leonh: à Leicht: in not: ad Brautlacht: l. 1. c. 2. §. 9.* Nos interim distinguimus inter eminentiam majestaticam & plenitudinem exercitii, quatenus qui soli competit; hanc præponderare dicimus, verùm hoc multùm participat de moda.

XX. Repositâ contemplatione causarum *consentanearum*, consequens porò est, ut *dissentaneas* pleno, ut ajunt, passu aggrediar; eas autem præter mortem, quæ omnia solvit juxta *Nov. 22. cap. 20.* resignationem voluntariam,

tariam, præscriptionem immemoriam & justum bellum ferè nullas agnoscamus. Nullo igitur modo audiendi sunt, qui contra S. Literas, contra rectam rationem, contra piæ antiquitatis sententiam, inferioribus quibusdam potestatibus adversus summam arma induunt, quos jamdudum atro carbone notavit Magnus noster Grotius passim in *Comment. de J. B. & P.* imprim. l. 1. c. 3. §. 8. n. 13. & eleganter admodum in *Tr. de Jur. Summ. Pot. cæ. Sacra. cap. 3. §. 6. & seqq. add.* ejusdem Frater Guilielmus de *Princ. Jur. Nat. c. 6. §. 9.* Hi enim, cum superiorem in terris non recognoscant, à nullo dijudicari possunt, prouti tamen statuit Defensor Regicidii Johann. Milton. in *Pecul. Tract. Defens. pop. Anglic. contra Salmas.* tum maximè *cap. 6. pag. 146. & seqq.* Nec quicquam facit Cardinale ejusdem argumentum: omne constituens est superius suo constituto. Atqui Populus est constituens Regem. Ergo. dudum enim ad hoc respondit *cit. Grot. l. 1. c. 3. §. 8. n. 13.* veram esse majorem propositionem de ea constitutione, cujus effectus perpetuò pendet à voluntate constituentis, non etiam de ea, quæ ab initio est voluntatis, postea verò effectum habet necessitatis. His adde, quod Deus de Principe judicare dicatur, quippe à quo etiam eidem immediatè tribuitur summa regnandi potestas, isque solum ratione subiecti à Populo, cui præest, habilitatur, prouti supra demonstravimus.

XXI. Idem quoque affirmo de Principibus divisam Majestatem adeptis, quandoquidem nec hi quantam & quatenus adepti, eam aliâ ratione perdunt, ac si absolutè rerum potirentur. Hinc non excidit convenienti potestate Imperator noster Romano-Germanicus, etiamsi debiti imperii terminos transilierit, ut proinde non videam, quo jure communis ferè Publicistarum error tam secure exempla depositorum Cæsarum, Adolphi scil. Nassovii, Henrici IV. & Wencellai afferre possit, quos eruditè vindicat *Bæcler. ad Grot. l. 1. c. 4. §. 9. pag. 291.* Urgent equidem exempla multorum Regum à Gentibus depositorum: sed hæc partim facti sunt, non juris: partim non Reges Politicè sic dictos respiciunt, quin potius Principes (primarios cives) ex executores Reip. quales ut plurimum Græcia aluit, prouti constat de Miltiade, Themistocle, Alcibiade &c. Sed fortè distinguendum cum *Grot. cit. cap. 4. §. 11.* & eundem sequente *Dn. Simone ad loc. cit.* inter malum Principem & everforem Reip. ita ut propter illius vitia nequicquam deceat debitam obedientiam deponere, hujus verò exitiosis consiliis omnino resistendum sit. Ast manum de Tabula!

XXII. Absolutis *causis* necessariò tractandi forent effectus, eorumque occasione nobilissimæ aliquot possent atteri de Jure publico controversiæ, sed memores propositi nostri, quod est de Majestate dissertatiunculam aliquam,

quam, non integrum Tractatum, conscribere, hæc jam missa faciemus. Lectorem ad alios Auctores hanc rem ex professo tractantes remittere contenti, imprim: ad Ziegler: *tr. de Jur: Maj:* item ad Hug. Grot. *passim in Coment: suo sepe jam cit. de Jur: Bell: & Pac.* Interim obiter notandum Idictionem seu potius Imperium, quod Majestatis præcipuum effectum non immeritò dixeris, doctrinæ causâ dividi in ordinarium & extraordinarium; hoc tum demum competit, quando utilitas extrema publica suadet, subditis jus quaeritum, ad bonum commune conservandum, esse aufferendum: Illud ordinariè ab illo, qui jura Majestatis habet, in subditos exercetur, cujus varias operationes hic persequi superledeo, quantum interim illud discrepet à dominio subditorum, *vid: apud Grot. l. 1. c. 3. §. 12. n. 2. ibique, not. Simon: junct. l. 2. c. 3. §. 4.*

XXIII. De extraordinario autem Imperio, quod alio nomine vocare solent *dominium supereminens* Grot. *l. 1. c. 1. §. 6. lib. 2. c. 14. §. 7. & l. 3. c. 20. §. 7. n. 1. Gail. 2. Observ. 56. pag. 333.* altior indago reperitur, adèd ut quibusdam, inter quos est *Dn. Ziegler. in not. ad Grot. pag. 46.* cordi fuerit ejus existentiam negare, cum ambitiosum hoc vocabulum Domini judicent, ideo quod multa secum afferat ejusmodi infortunia, quæ à recto dimovere soleant. Verùm cum *Excell. Dn. Simone in not. ad Grot. l. 2. c. 14. §. 7.* nego hanc consequentiam, desumptam ab eo, quod per accidens aliquando fieri potest & concludentem ad id, quod per se inest. Nam omnes consentunt, in res singulorum majus Dominium (vel quod eodem recidit, imperium extraordinarium) Regis ad bonum commune, quam Dominorum singularium. Ex quo fluit 1. quod Princeps subditis suis bona integraque prædia aufferre & ad conservationem universi applicare possit. Similiter & 2. quod militibus veteranis, qui strenuam ipsi operam navant, quò alacriùs & curâ intentiori officio suo satisfaciant, ac pro patriâ pugnent, in extremo Reip. periculo, prædium quod exposcunt subditorum, hostium demolitioni alioquin expositum, ad retinendam salutem publicam, donare valeant. His adde 3. facultatem, si urbs aliqua confusiùs ædificiis, nullâ platearum amplitudine aut distinctione, sicut requirebat necessitas, constet: & ratio importandarum rerum aut exportandarum, vel defensionis adversus incendia eandem exigat, domos, ne ordini aut dispositioni obstant, diruendi. Item 4. sumendi agros, inulas aut fundos privatorum, si opus sit, causâ muniendi oppidi, diruendi muri, fossæ aut viæ publicæ aperiendæ. 5. Diruendi & comburendi, Marte dominante, pro conservatione civitatis, integra suburbia &c.

XXIV. Atque hæc sunt, Candide Lector, quæ de *Majestate* (mate-

riâ profectò maximi momenti & in qua perniciosè erratur) conscribere placuit. Magis plura gravioraque superessent ad nostram materiam pertinentiâ, quæ tamen omnia huc traxisse Disputantium terminos excederent. Remitto igitur me ad aliorum hac de re politicas lucubrationes, quorum scrinia compilare & tempus & occasio prohibuit. Soli interim Benignissimo Deo, qui non antea solum mihi præstò semper fuit laboranti, sed & in hoc potissimum genere exoptatum concessit.

F I N E M.

## COROLLARIA.

- I. **E**X nudo pacto ne quidem de Jure Canonico oritur actio.
- II. **E** Notorie infamis nec de Jure Civili procurator esse potest, non obstante s. fin. J. de Except.
- III. Non datur Litiscontestatio affirmativa.
- IV. Deposita etiam consistit in re immobili.
- V. Dolus dans causam contractui eum tam stricti juris quam bona fidei reddit ipso jure nullum.
- VI. Ususfructus legitima liberis necessariò relinquenda patri non potest adimi.
- VII. Turpi personâ herede instituto, fratri aequè turpi non competit querela inofficiosi testamenti.
- VIII. In definitione Tutela hæc verba: in capite libero, non ad pupillum sed ad tutorem referimus contra communem Doctorum, ut Grus Grucem se invicem hic sequentium, explicationem.
- IX. Thesaurus in re feudali inventus ad Dominum feudi pertinet, non ad Vasallum, adhibitâ distinctione aliàs Jure Civili usitata.
- X. Actio Pauliana est personalis in rem scripta.
- XI. Concubinitus jure permissus.
- XII. Via sua defensionem non solum Juris Naturæ concessivi sed etiam præceptivi esse statuimus.
- XIII. Nullam unquam ab initio rerum omnium communionem existisse, sed dominium ex liberali concessione divinâ cum genere statim humano fuisse introductum credimus.
- XIV. Mare clausum cum Seldeno contra Grotium exercitii gratiâ defendimus.

F I N I S.